



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

11. De externis actibus amoris Dei perfectè exercendis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

actus elice, iuxta paradigma in Ind. meditat. c. 7. §. 4. assignatum.

III. Quam sublimiter B. Virgo inefabili amoris Dei actu flagrantissima, hos similesque amoris affectus modo insinuato, amplissimos, purissimos, intensissimos, constantissimos, insatiabilissimos totâ vitâ multiplicarit: quanto porrò adhuc sublimius Christus Dominus perenni inæstimabilis erga Patrem amoris incendio æstuans eisdem à primo conceptionis instanti vsque ad supremum vitæ halitum continuerit! prout latius id explicatur, 1. p. med. hebdom. 2. post Epiph. med. 6. & 7. Renouatio eorundem affectuum amoris subnectenda.

IX. De externis actibus amoris perfectè exercendis.

I. **E**Xpende quinam sint præcipua externi actus amoris Dei, & quanti singuli apud Deum pretij & meriti, quales sunt hi triplices, 1. Sublimes supradictos intellectus de Deo, eius attributis, omnibusque eius gloriâ concernentibus sensus, piosque voluntatis affectus publicè priuatimque verbis & factis testari, omnibusque similes perfecti amoris sensus incul-

can.

cando, indefesso conatu diuinæ boni-  
tatis & amabilitatis cognitionē, amo-  
rem, cultumque quauis oblata occa-  
sione latius propagare procurando;  
assiduo studio eximie perfectionis in  
se alijsq; promouendæ ad vnicam Dei  
gloriam augendâ collimando. 2. Ver-  
bis similiter & factis demonstrare, se  
reuerenter approbare, laudare, prom-  
ptèque acceptare, & amplecti, quic-  
quid diuina prouidentia circa se, om-  
nes, & omnia statuerit, disposuerit,  
permiserit, quoad animam, corpus, fa-  
mam, bona fortunæ. 3. Reipsa adim-  
plere conari sanctissimam eius volun-  
tatem, accurata obseruatione omnium  
præceptorum, consiliorum, regularū,  
diuinarum inspirationum, sollicita e-  
uitatione & expiatione minimarum  
præuaricationum, indefesso studio  
proficiendi indies in omnimoda per-  
fectione, atque omnia quæ facit & pa-  
titur, faciendi & patiendi, ex pura di-  
uini amoris, honoris, beneplaciti in-  
tentione. Quot occasiones hos actus  
frequentandi tibi quotidie offert di-  
uina bonitas! quot vberioris gratiæ  
præsidia suppeditat? quot calcaria ad-  
mouet? an non tandem tempus tor-  
porem excutiendi? Desiderium hos  
actus

actus

actus frequentandi hic prolixius efficiendum.

II. Qua ratione perfectè & meritorie hi triplices actus possint frequentari, Nimirum si exercentur 1. cum debita aduertentia intellectus, suauiter subindè fundamenta & incitamenta amoris Dei ruminando, sicq; voluntatem, & per eam alias potentias ad vehementius amandum, & re ipsa amorem exhibendum excitando. 2. Cum inflammato voluntatis affectu internos amoris actus cum heroicis desiderijs vires excedentibus discretè externis interferendo. 3. Cum seria applicatione virium mentis & corporis, opera externa amoris Dei, tam elicità ab ipso, quàm imperata, vt sunt omnia alia opera bona, & indifferentia ex motiuo amoris Dei facta, conando exactè quoad omnes circumstantias peragere. 4. Demum cum crebra renouatione puræ intentionis, nihil in his aliud spectando, quam vnicum Dei honorè, beneplacitum & obsequium. Si cum prædicta perfectione hos actus amoris vel vnico die, vel hebdomada sedulo frequentares, quantum meritorum cumulum cõgregares! quanto maiorem, si id multis annis, tota vita

continuares ! Desiderium cum hac perfectione amoris frequentandi hic protrahendum more consueto cum propositis practicis.

III. Quam perfectè B. Virgo prædicto modo actus externos amoris exercuetit, imò omnia sua opera etiam ex se indifferentia ex motiuo perfectæ charitatis peregerit; tantò utique perfectius, quantò eius intellectus erat illuminator, affectus inflammator, habitus charitatis intensior: quo ipsa deinde à fomite peccati; à remoris amoris proprij erat immunior, in omni virtute solidior, Deo coniunctior ! quanto tandem interuallo in his operibus charitatis perfectissimè tota vita continuandis superarit benedictam Matrem benedictissimus Filius, ob similes rationes in ipso longè sublimiores ! Desiderium in his B. V. & Christum ipsum imitandi subnectendum.

*De Incitamentis amoris Dei.*

XII.

I. **E**Xpende præcipua aliqua ad assiduum perfecti amoris Dei exercitium incitamenta, quorum primum sit, *Quod sit optimum medium infinitam Dei erga nos dilectionem, benignitatem & liberalitatem modo quo nos possumus præstan-*